

Calviniano dogmata erronea liberè disseminare permittat, sed refutet illa, & oviculas suas in viam reducat. D. Heilbrunn.

31. Num Orthodoxus apud Calvinianos communicare possit?

Resp. 1. Non potestis bibere calicem Domini & calicem Dæmoniorum, 1. Cor. 10. 2. Si mortis periculum accesserit, sufficit, spiritualiter comedisse corpus Domini. Bidembach.

## IN LOCO

## DE FIDELIUM CUM CHRISTO UNIONE.

## THEOREMATA.

1. **U**Nio hominis cum Deo, est vel generalis, qua in Deo omnes sumus, vivimus & movemur, Act. 17. vel specialis, & quidem huius vitæ, qua Credentes in unum cum Deo & Christo coalescunt Spiritum: Vel cœlestis, post hanc vitam contingens, qua Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15.

2. Causa principalis est sacrosancta Trinitas.

3. Administræ sunt, Prophetæ & Apostoli, omnesque Dei mysteriorum dispensatores sinceri.

4. Media sunt: 1. Verbi divini auscultatio & observatio. 2. Sacramentorum decens usurpatio. 3. Fides, eaq; non mortua, sed viva.

5. Materia Unionis, seu partes uniendæ sunt, tum sacrosancta Trinitas, quæ se cum homine fideli ac converso unit, tum, qui cum Deo unitur, homo, peccator quidem, sed tamen fidelis, & Christum pro Salvatore agnoscens, atque ab iniquitate recedens.

6. Forma Unionis, est admiranda sed arctissima fidelium cum Deo junctio, qua unum facti cum Christo, unum fiunt cum Deo, atque ita in communionem mortis & vitæ Christi veniunt.

7. Finis, isque ultimus & principalis, est Salus æterna.

8. Nomen Unionis ortum trahit ex istis scripturarum dictis, in quibus Dei, Christi, & Fidelium unitas describitur.

9. Vocatur alias Desponsatio Fidelium cum Christo, Os. 2, 19. 20. Mysticum Christi & Ecclesiæ conjugium, Eph. 5. Mansio Dei apud hominem, Joh. 14. Gratiola Dei apud fideles presentia Ps. 91. Membro-

rum.